

Quaestiones criticae in L. Annaei Senecae de beneficiis libros.

Librorum quos L. Annaeus Seneca scripsit de beneficiis recensio tota pendet ex codice Nazariano sive Vaticano-Palatino saeculi X ineuntis vel iam IX exeuntis, quem anno 1866 R. Kekulé in Hauptii usum cum exemplari editionis Haasianae contulerat. Cuius collationis descriptione nisus autographa M. C. Gertz anno 1876 illos edidit. Reliqui codices deterioris notae plurimi aut ex ipso Nazariano aut ex codice plane gemino descripti videntur (cf. Gertz. Praef. p. VI). Tamen non omnes ex Nazariano fluxisse efficitur ea re, quod nonnullis eorum locis verba exstant, quae quoniam in Nazariano plane desunt, unde in codices deteriores et inde in editiones irrepererint explicari non potest (velut de benef. I 15, 6 *vile*; II 13, 1 *omnia nimia delectant ut te*). Itaque nonnunquam ei ex altero fonte deperdito et diverso a Nazariano derivandi sunt. Nazarianus autem ex codice archetypo ipso descriptus est, atque plurimos Nazariani locos gravius corruptos iam in archetypo fuisse nonnullis infra exemplis demonstrabimus. Quattuor manus codicem emendabant, ex quibus tertia et quarta nihil fere valent ad textum restituendum. Ea vero manus quam Gertzius siglo N²(?) signavit sine dubio archetypo ipsa videtur esse, quamquam Gertzius illius lectiones soli ingenio tribuit propterea 'quod non raro falsas scripturas intulit' (p. IV). At nulla re impedimur, quominus eas scripturas iam vel in archetypo vel alio codice interpolato, quem manus altera adhibere poterat, fuisse existimemus. Quin etiam interdum ea manus veram praebet lectionem velut I 9, 5; IV 12, 3 quos locos Gertzius corruptos esse iudicat. Quod vero ut opinionem suam praeiudicatam defendat, p. V complures falsas manus secundae lectiones affert, non multum iuvat. Nam ut exempli causa I 3, 10 proferam, ubi ea manus falso scripsit *in sensum detulerunt* pro *in censum detulerunt*, nemo erit qui credat id ad locum emendandum 'ex solo ingenio', id quod Gertzius vult, scriptum esse, sed veri multo similis est illum hominem ita exstare opinatum esse

in eo codice, qui praeter Nazarianum ipsum in eius manibus erat. Varians igitur lectio nobis praebetur, quae utrum genuina an falsa sit unoquoque loco considerandum est. Similiter res se habet I 14, 3:

N¹ *ille accepit cum rogasset, ego non rogarem (rogaram?).*

N²(?) „ „ „ „ *ego et cum rogarem (non omisit).*

I 15, 2 *stimulos addimus; N²(?) st. adicimus.*

I 15, 3 *quolibet casus; N²(?) quod liber casus.*

I 15, 6 *cuius vile iudicium est; N²(?) vitandum.*

(cf. et. II 11, 5; II 34, 2; III 38, 4; IV 2, 4.)

Et quoniam haud paucis locis haec manus genuinam lectionem nobis servavit, ut I 2, 3 *quia*; I 4, 6 *at qui*; I 9, 3 *ludibrio habitis (aditis N¹)*; I 12, 1 *sunt tam (sumus N¹)*; II 11, 5 *in infantia*, facere non possumus, quin semper illius lectionibus aliquantum pretii tribuamus. Accedit ea quoque causa, quod Kekulé dicit hanc manum interdum ab ea, quam ipse *m. sec.* nominat, Gertzius siglo N² significat quaeque admodum vetusta videtur, vix discerni posse. Quare fortasse quaestio existit, num utraque manus eiusdem hominis sit. Transeamus iam ad singulos locos, quibus ea quae supra disseruimus comprobantur.

I 9, 5.

Seneca hoc loco, magna lacuna, de qua infra acturi sumus, depravato, vehementissime invehitur in suae aetatis mores tam corruptos et perditos. Inter huius mali exempla, qualia sunt adulterium, viduitas, caelibatus (§ 4); contemptio paupertatis, iniuriae, provinciarum spoliationes, iudices venales, violatio iuris gentium, etiam illud profert:

Iam rapta spargere, sparsa erat agri avaritia recolligere certant. (sic cod. N. manus prima.) Manus secunda (N²?) ascripsit *rapaci vel acri*; N² correxit *recolligere*. Nonnulli codices deteriores et editiones veteres praebent sec. Fickertum coniecturam *pari avaritia*. Ad hunc locum Gertzius p. 197 annotat: § 5 rursus corrupta N scriptura est *sparsa erat agri avaritia recolligere*, nec licet corruptum verbum *erat* simpliciter abicere; nam quod Fickertus hoc verbum librario conrigenti deberi opinatur, eiusmodi interpolationis in nostro quidem codice nullum vestigium est. Suspicatus sum in his latere posse: *sparsa aegra et acri avaritia reconligere*, ut Seneca avaritiam et avaris ipsis aegritudinem et aliis molestiam adferre significet, sed coniecturam hanc incertam esse non nego. — Equidem miror, quod Gertzius etiam hoc loco

manum secundam tam parvi aestimavit. Unde enim, quaeso, haec manus hausit illam, ut videtur, glossam *rapaci vel acri?* unde orta est illa lectio *pari?* Facile id cognosci potest, si codicis archetypi lectionem restituamus. Habuisse eum veri simile est:

IAM RAPTA SPARGERE SPARSA RAPACI AVARITIA. Ex his litteris prima Nazariani manus fecit *sparsa erat agri*, cum sic intellegerentur verba: *Verbreitet war das habgierige Streben nach Land*; manus vero secunda codice diligentius inspecto, quamquam non omnes litterae certae videbantur, statuit vel *acri* vel *rapaci* scriptum fuisse. Littera P in *rapaci* aliquo modo in T corrupta videtur fuisse, nec tamen ita ut omnia pristinae litterae vestigia delerentur, quoniam et N²(?) illud P eruere potuit et nonnulli codices deteriores, ommissa C vel G littera, exhibent PARI. Litterae E et R in archetypo possunt ab interpolatore superscriptae esse, qui cum legeret RAT et AGI, ut locum emendaret illis litteris additis codicis verba in *erat* et *agri* corrigenda esse opinatus hoc modo effecit, ut is qui primus Nazarianum ex archetypo descripsit, falsam lectionem *erat agri* genuinam esse existimaret. Quo factum est, ut ista scriptura in reliquos quoque codices irreperet. Iam vero, quid tandem Seneca dixerit, nemini potest dubium esse, nulla enim alia nisi

rapta spargere, sparsa rapaci avaritia recolligere certant,
genuina est lectio, quae et sententiam restituit et Senecae dicendi rationi optime respondet. Cum huius loci chiasmo conferri possunt de benef. I 1, 10: *adeoque adversus experimenta pertinaces sumus, ut bella victi et naufragi maria repetamus*; et V 8, 6 *accipiendo das, dando accipis*.

I 2, 3.

Beneficiorum simplex ratio est, si reddet aliquid, lucrum est, si non reddet, damnum non est. Hanc exhibet lectionem Nazarianus. Futurum tempus *reddet* recte se habere negandum est propterea quod in apodosi non *erit*, sed *est* sequitur. Deinde etiamsi *erit* esset scriptum, tum non futurum simplex sed exactum pro *reddet* requiretur. Nam lucrum vel damnam non prius est quam reddidit aliquis, — id enim praeterire licet, *aliquis* legendum esse cum plurimis codicibus deterioribus, si *reddet* genuina esset lectio — reddere igitur antecedit lucrum vel damnum; utrumque non eodem tempore fit. Itaque pro *reddet* sine dubio *reddidit* legendum est. Saepissime enim in Nazariano manu prima

-& pro *-it* scriptum est, quod manus secunda deinde plerumque, non semper, in *-it* correxit. Cuius rei exempla sunt:

I 1, 5	N ¹	<i>avertit</i> ;	correxit m. sec. in	<i>avertit</i> ;
I 1, 7	„	<i>adiacet</i> ;	„ „ „	<i>adiexit</i> ;
I 1, 7	„	<i>expresset</i> ;	„ „ „	<i>expressit</i> ;
I 1, 7	„	<i>torset</i> ;	„ „ „	<i>torsit</i> ;
I 1, 8	„	<i>fecet</i> ;	„ „ „	<i>fecit</i> ;
I 1, 13	„	<i>reddet</i> ;	„ „ „	<i>reddit</i> ;
I 2, 2	„	<i>perdet</i> ;	„ „ „	<i>perdit</i> ;
I 3, 1	„	<i>perdet</i> ;	„ „ „	<i>perdit</i> ;
„	„	<i>credet</i> ;	„ „ „	<i>credit</i> ;
I 3, 6	„	<i>eret</i> ;	„ „ „	<i>erit</i> ;
I 5, 6	„	<i>sustulet</i> ;	„ „ „	<i>sustulit</i> .

Non correxit manus secunda

II 1, 2	N ¹	<i>iniet</i> pro vulgata et recta lectione	<i>iniit</i> ;
II 3, 3	„	<i>dicet</i> „ recta lectione	<i>dicit</i> ;
II 11, 4	„	<i>perdet</i> „ „ „	<i>perdit</i> .

Quare Haasius hoc loco conicere non debuit: *si rediet aliquid pro redibit*. Ceterum haec verbi eundi forma apud Senecam non exstat. Nam omnia quae affert ille exempla, plane incerta sunt, velut Cons. ad Polyb. 8, 2 cod. *exit*; vulg. *erit*; Haasius *exiet*; Quaest. Nat. III 10, 4 „ *transiet*; recte *transit*¹; Lud. de mort. Claud. III 1 cod. *esset*; Gertzius *cesset*; Haasius *exiet*.

Ep. 113, 16 cod. *exegit*; Gertzius *exigitur*; Haasius *exiet*.

Ep. 17, 7 cod. P. *exhibet*; p. *exiet*; vulg. *exibit*.

De benef. II 1, 2 N. *iniet*; vulg. recte *iniit*.

(Cet. cfr. Gertz. Stud. critic. in Senecae dialog. p. 166—167). Nobis igitur proficiscendum est a lectione *reddit* quae et in Nazariano seu potius archetypo latet et in uno codice deteriore exstat. Quaerendum iam est, utrum cum Gertzio, qui *aliquid* in *aliquis*, duobus codicibus deterioris notae nisus, commutavit, scribamus *si reddit aliquis, lucrum est, si non reddit, damnatum non est*, an Erasmi ingeniosam coniecturam lectione codicis N. admodum servata comprobemus: *si redit aliquid . . . si non redit*. Atque Gertzii quidem lectioni obstat pronomen *aliquis*; nam si verbum *reddit* ad personam pertineret, Seneca certe scripsisset *si quis reddit*, quia hoc loco non de persona, quae reddit beneficia, agitur, sed de beneficiis ipsis atque de eo, qui beneficia dat. Quod enuntiatur

¹ quia *transit* antecedit, et *facit* sequitur.

verbis quae antecedunt: *beneficiorum simplex ratio est, tantum erogatur et quae sequuntur: ego illud dedi, ut darem. Nemo beneficia in calendario scribit nec avarus exactor ad horam et diem adpellat. Nunquam illa vir bonus cogitat nisi admonitus a red-dente.* Ergo non refert, quis reddat, sed quid reddatur ei qui beneficia dederat. Quodcumque huic redditur, lucrum est; ergo si aliquid non redditur, damnum non est. Seneca igitur dicere non potest reddere lucrum esse sed quod reddatur, id esse lucrum. Sententia huius loci utique haec esse debet:

si redditur aliquid, lucrum est; si non redditur, damnum non est. Quod quoniam perspeximus, facile inde erit decernere, quid tandem hoc loco scribendum sit. Erasmi nempe lectionem genuinam esse censeo:

si redit aliquid, lucrum est; si non redit, damnum non est.

Seneca enim haud raro *redire* adhibet pro *reddi* eodem iure quo nos pro genere passivo verborum *vendere* et *perdere*, quod deest linguae Latinae, verbis utimur *venire* et *perire*. Praeterea Erasmi coniectura similibus locis ita probatur, ut in textum utique recipienda nobis sit, cf.

I 1, 12 *beneficia non utique reditura;*

II 15, 1 *nunquam in turpitudinem nostram reditura tribuamus;*

II 31, 3 *non fuit hoc beneficium, cuius proprium est nihil de reditu cogitare;*

V 5, 1 *si ab his obligatus es, ad quos aut fortunae magnitudo aut eximia virtus aditum redituris ad se beneficiis clusit.*

Denique litterarum falso iteratarum exempla in Nazariano sescenta inveniuntur, velut I 1, 8 *deffluant;* I 11, 5 *utillius;* quin etiam I 1, 12 Nazariani prima manus exhibet *reditura* pro *reditura*.

VII 4, 5.

Quemadmodum probemus omnia nunc enim omnia sapientis esse inter duos convenit; illud quod queritur colligendum est, quomodo liberalitatis materia adversus eum supersit, cuius universa esse concessimus. Haec est codicum lectio. In editione Bipontina (1782) ante *quemadmodum* lacunae signum positum est et sic distinctum: . . . *quemadmodum probemus omnia (nunc enim omnia sapientis esse, inter nos convenit) illud quod quaeritur colligendum est.* Sed quid in lacuna fuerit dicere potest nemo quoniam nihil ad totam expositionem pertinens desideratur.

Praeterea lacuna tum demum statuenda est, ubi medelam

aliter inveniri non posse probatum erit. Quare nobis considerandum est, utrum parva mutatione hic locus corrigi possit necne. Atque eam quidem rem quod pro *queritur* quin *quaeritur* legendum sit, dubium non est, praeterire nobis licet, quia verba queri et quaerere in cod. N. saepissime inter se confunduntur, velut I 1, 1 N. *quaerimur*; *querimur* recte; III 14, 4 N. *querenti*; *quaerenti* vulg.; V 14, 5 N. *queritur*; *quaeritur* vulg.; VI 23, 8 N. *quaerenti*; *querenti* corr. N²; VI 32, 3 N. *quaeri*; *queri* vulg.; VII 1, 6 N. *quaeri*; *queri* vulg. Deinde primo aspectu elucebit *nunc enim* non suo loco positum esse sed post *esse* pertinere, quod ut statuamus iterato *omnia* adducimur. Quamobrem et alterum *omnia* delendum et *nunc enim* in alterum locum transponendum est, ita ut legamus

*quemadmodum probemus omnia sapientis esse nunc enim inter
duos convenit.*

Ex hac verborum positione Madvigii coniectura prodiit, quam Gertzius egregiam appellat et in textum recipit; scribit enim:

*quemadmodum probemus omnia sapientis esse, videbimus, nunc
enim inter duos (nos Madvig.) convenit; illud quod quaeritur
colligendum est quomodo e. q. s.*

Prima specie in hac lectione nobis contradictio in adiecto inesse videbatur. Nam si Seneca et is quem fingit interloquentem videre demum volunt, quemadmodum probent omnia sapientis esse, certe dicere non possunt id iam inter se convenire vel convenisse. Omnia sapientis esse Seneca iam probaverat; scribere igitur debuit Madvigius: *vidimus*. Seneca enim 'exhausta materia' (VII 1, 1) circumspicit, quid omiserit. Itaque certam nec rationem nec dispositionem secutus varias res exponit, quae ad propositum non ita pertinent (cf. VII 1, 2 *sed quidquid maxime necessarium erat, in primum congessi; nunc si quid effugit, reconligo. Nec mehercules, si me interrogas, nimis ad rem existimo pertinere, ubi dicta sunt, quae regunt mores, persequi cetera non in remedium animi sed in exercitationem ingenii inventa*). Inter eas contendit (cap. 3, 2) unum sapientem esse, cuius omnia sint. Antea (cap. 2) de fragilitate et inanitate voluptatis, qua cupiditates irritantur (§ 3) inexplebiles, verba facit, quibus latenter in Epicureos, ut saepius, invehitur. Ex his rebus satis occulte causas deducit, cur sapientis omnia sint. Hunc enim nihil cupere; ergo eius omnia esse. *Quemadmodum*, inquit (cap. 3, 2), *di immortales regnum inerme regunt, et illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est, ita hic (sapientis) officia sua, quamvis latissime patcant, sine tumultu obit et*

omne humanum genus potentissimus eius optimusque infra se videt. *Derideas licet: ingentis spiritus res est, cum orientem occidentemque lustraveris animo, quo etiam remota et solitudinibus interclusa penetrantur, cum tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatissime fundit, adspexeris, emittere hanc dei vocem: haec omnia mea sunt! Sic fit, ut nihil cupiat, quia nihil est extra omnia.*

Deinde Seneca sive Aebutium Liberalem sive quemlibet alium facit interlocutorem (cap. 4, 1): *Quemadmodum potest aliquis donare sapienti, si omnia sapientis sunt?* Ex hoc loco sequitur, ut omnia sapientis esse iam inter illos convenerit — sin aliter, certe non dixisset *si omnia sapientis sunt*, sed *si omnia sapientis essent* vel *sint*; cf. etiam cap. 4, 5 *cuius universa esse concessimus* — tum vero quemadmodum (id est *qua conditione, inwiefern, in welchem Sinne*) omnia sapientis sint, similibus quibusdam comprobatur. *Nihil*, inquit (§ 2), *prohibet aliquid et sapientis esse et tamen eius qui possidet, cui datum et assignatum est.* Causas vero et argumenta rem ita se habere posse, ut utriusque idem sit, omnino non affert Seneca; sed tacite ita esse posse statuit et hoc quasi fundamento usus iis quae sequuntur paragraphum quintam, alteram partem exponit, quomodo sapienti donari aliquid possit, etiam si sapientis omnia sunt, quae pars capite 12 concluditur. Sic enim totam rem distribuit:

- I. Beneficium dari posse sapienti, quamquam eius omnia sint, contendit. Quod ut probet exponere debet
 - a. quemadmodum omnia sapientis sint (cap. 4, 1—5);
 - b. quemadmodum ei donari aliquid possit (cap. 4, 6—12).
- II. Amico aliquid donari posse, quamquam omnia amicis communia sint.
 - a. quemadmodum omnia amicis communia sint (cap. 12).
 - b. quemadmodum amico aliquid donari possit¹.

Nobis quidem prior illa pars (I), quae est de beneficiis erga sapientem, respicienda est. Ab altero eius partis loco (a) ad alterum (b) transit Seneca cap. 4 § 5, quae paragraphus omnino transitionis formam cohibet. Id vero semper tenendum est Senecam iustas causas quibus probaret idem et sapientis et eius, qui possidet, esse posse non attulisse, sed id tacite tantum sibi concedi fingit. Quare dicere potest id inter se iam convenisse. Itaque

¹ deest; fuit in lacuna ante cap. 13.

si ex Madvigii coniectura dixisset: *quemadmodum probemus omnia sapientis esse, videbimus*, id certe iis quae sequuntur probasset. Hoc autem nusquam fit; immo cap. 5 § 1 idem fere, quod iam cap. 4 § 2 dixerat repetit his verbis: *Etenim sic omnia sapientis esse dico, ut nihilo minus proprium quisque in rebus suis dominium habeat, quemadmodum sub optimo rege omnia reæ imperio possidet, singuli dominio*. Deinde vero, id quod maximum est, pergit: *Tempus istius probandae rei veniet; interim hoc huic quaestioni sat est, me id quod aliter sapientis est, aliter meum est, posse donare sapienti. Nec mirum est aliquid ei cuius est totum posse donari*. Seneca igitur probare illud quod contendit, hoc loco recusat, tempus eius probandi venturum esse. Sed nusquam, ut dixi, hoc libro illius rei causae exponuntur. Minime enim in animo habuit eam in libris de beneficiis, ad quos talis quaestio omnino non pertinebat, comprobare. Id si voluisset, certe alia verba adhibuisset, velut 'istam rem infra sive alio loco probaturi sumus'; non dixisset tempus eius probandae venturum esse. Itaque (cap. 4 extr.—cap. 12) alter locus tractatur *quomodo liberalitatis materia adversus eum supersit cuius universa esse concessimus* (4, 5) vel, id quod idem est, quomodo sapienti donari aliquid possit, etiamsi sapientis omnia sint (cap. 12, 1). In hac expositione, quamquam tangit interdum (ut 5 § 2 et cap. 6) quaestionem, quemadmodum intellegendum sit omnia sapientis esse, id quod iam cap. 4 §§ 2 et 3 fecerat, atque tangit eam necessario, ut sibi facultas detur alterius loci probandi *sapienti aliquid donari posse, etiamsi eius omnia sint* — tamen paradoxon ipsum 'idem duorum esse posse' non probat. Quae cum ita sint, cum Madvigii coniecturam (*videbimus*) sustineri non posse viderimus, censo ita, ut omnes difficultates tollantur, transitionis forma restituatur, verbum a textu alienum non inseratur, parva tantummodo mutatione facta scribendum esse hoc modo:

Quemadmodum probemus omnia sapientis sese nunc iam inter duos convenit; illud quod quaeritur colligendum est, quomodo liberalitatis materia adversus eum supersit, cuius universa esse concessimus.

(*Darüber, in welchem Sinne nach unserer Auseinandersetzung* <cap. 4 § 2—4; *quemadmodum* enim pertinet ad esse, non ad *probemus, wie wir beweisen*> *alles dem Weisen gehört, haben wir beide uns jetzt bereits geeinigt; nunmehr müssen wir jene Frage auf Grund der ersten behandeln* <*colligere* significat *einen Schluss ziehen*>; ergo *müssen wir daraus auf jene Frage schliessen*>), *wie*

Stoff zur Wohlthat gegen denjenigen noch übrig ist, dem nach unserm Zugeständniss alles gehört.)

Inter duos mutare in inter nos nolui, quoniam Gertzius hanc apud Senecam dicendi rationem comprobavit¹, quamquam, nescio quo loco, apud Senecam exstat: illud unum inter nos non convenit.

VII 10, 3.

Video ferrum ex isdem tenebris esse prolatum, quibus aurum et argentum, ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset aut pretium. Et tamen adhuc ista aliquam materiam habent; est, in quo errorem oculorum animus subsequi possit.

Haec codicis verba Senecae interpretibus haud exiguas difficultates praebent. Haasius enim coniecit *animorum oculus*; Gertzius, qui hunc locum plane corruptum iudicat *oculi cum manibus subsequi possint*. In Adn. critic. p. 257 dicit: 'Haasius praef. vol. III p. XXV scribi se malle dixit *in quo errorem animorum oculus subsequi possit*. Ac nisi quod substantivorum numero offendor, fortasse etiam sine satis idonea ratione, . . . verum Haasium vidisse puto; quod et ex iis intellegitur, quae praecedunt: *ista aliquam materiam habent*, quoniam materia ad oculos proprie spectat, et magis etiam ex iis, quae infra § 4 de syngraphis, cautionibus, tabellis similibusque dicuntur: *in quibus nihil est, quod subici oculis, quod teneri manu possit*. Ex hoc loco eam coniecturam duxi, quam in margine posui: *est, in quo errorem oculi cum manibus subsequi possint*; quod et ad sententiam aptum est nec a codicis N. scriptura multum discedit'. — Uterque tamen in sole caligare videtur. Nam si totum locum diligentius inspexerimus, nihil mutandum esse inveniemus. Seneca fingit Demetrium Cynicum si quis deorum ei res humanas possidendas velit tradere ea lege ne liceat donare, eas repudiantem, ne ad se omnium populorum mala deferantur (cap. 8, 3 et 9, 1). Haec se ne daturum quidem accepturum esse, quod non modo nihil prosint sed etiam noceant. Ac prima quidem enumerat *luxuriae spolia* (cap. 9 § 2—5 incl.), deinde avaritiae (c. 10). Has dividit in eas, quae materiam habeant, ut aurum et argentum, et quae materiam non habeant (*in quibus nihil est quod subici oculis, manu teneri possit*), ut diplomata, syngraphae, cautiones; fenus, calendarium usura; tabellae, computationes, venale tempus, sanguinolentae centesimae. Illis oculi tantum falluntur, auri argentique specie et

¹ cf. Adnot. critic. p. 256; Studia crit. p. 67.

splendore capti et perducti, ut ea expeterent. Ferrum autem aspernantur, quamquam ex isdem tenebris prolatum est, quibus illa, *ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset aut pretium*. Oculi videre possunt ferrum vulnerare, sed videre non possunt etiam pretium (aurum et argentum) vulnerare¹. Ferrum enim nihil nisi corpus vulnerat; aurum et argentum animum, utpote quibus avaritia excitetur. Praeter aurum et argentum, quae materiam habent, etiam aliae sine materia res avaritiam excitant. Hoc vero oculis et manibus, id est corporis sensibus, percipi nequit, quoniam materia deest illis rebus, sed animo tantum. Itaque auro et argento oculi, animus fenore, usura, diplomatis, cautionibus, syngraphis ceterisque rebus fallitur. Haec sententia debet latere in verbis: *est in quo errorem oculorum animus subsequi possit*.

Ac primum quidem respiciendum nobis est, quae ratio intercedat inter sententiam: *Et tamen . . . materiam habent* et verba: *est, in quo . . . possit*; deinde quae sit ratio inter *errorem oculorum* et *animus subsequi*. Aurum igitur et argentum materiam aliquam habent, qua oculi falluntur. Haec est sententia alterius loci; quaeritur autem, utrum ea quae sequuntur: *est, in quo . . . possit* vel simile quoddam vel idem significant quod illa sententia, an eius sententiae causas afferant ita ut ea verba dicta sint pro *est enim, in quo*. Illud quominus statuamus, obstant verba *animus* et *subsequi*, quibus indicatur novum aliquid afferri. Altero modo Haasius et Gertzius sententiarum rationem videntur intellexisse, si quidem eorum verba recte percepi. Itaque ille *animorum oculus*, hic *oculi cum manibus . . . possint* scribendum iudicavit. Gertzius enim Haasium rectum vidisse contendit quod ex iis intellegatur, quae praecedunt: *ista . . . materiam habent*, quoniam materia ad oculos proprie spectet, et ex § 4: *in quibus nihil est, quod subici oculis, quod teneri manu possit*. At ex iis quae praecedunt nihil concludi potest de iis quae necessario sequantur. Deinde quod Seneca § 4 dicit in cautionibus ceterisque rebus, quae materia, qua oculi falluntur, carent, nihil inesse quod oculis subici et manibus teneri possit, minime codicis verbis: *est in quo errorem oculorum animus subsequi possit* contrarium est. Immo paragraphi tertiae initium et § 4 finis optime inter se respondent, quoniam Seneca (§ 3) diplomata, cautiones, cetera inter ea simulacra re-

¹ Verba *in caedes mutuas* ἀπὸ κοινού pertinere etiam ad *pretium* apparet ex § 1: *volo intueri pretia sanguinis animarumque vestrarum*.

fert, per quae avaritia decipiat animum *inanium opinione gaudentem*. *Quid enim, inquit, ista sunt, quid fenus et calendarium et usura nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina?* (ergo sine materia). His igitur sine materia rebus animus decipitur sive efficitur, ut animus erret. Itaque res quibus animi error efficitur eadem sunt atque illae, *in quibus nihil est quod oculis subici, manu teneri possit*, diplomata nempe, cautiones, syngraphae, cetera. Agedum quae sit tandem sententiarum ratio, si nec simile quoddam nec causae verbis *est . . . possit* afferuntur, videamus! Ex iis quae diximus apparet *ista quae aliquam materiam habent* et illud *in quo errorem oculorum animus subsequitur* plane inter se diversa esse. Ergo statuendum est asyndeton quod appellatur adversativum esse, quo duae illae sententiae *et tamen ista . . . habent* et *est . . . possit* inter se opponuntur (*Und doch hat jenes Gold und Silber noch wenigstens eine gewisse Materie, sc. wodurch der Irrthum der Augen erklärlich wird; nun aber giebt es noch etwas Immaterielles, wobei dem Irrthume der Augen das Herz folgen kann*). Quidnam vero sit illud, in quo errorem oculorum animus subsequitur, verbis quae sequuntur *video istic diplomata* sq. exponitur. Hoc asyndeton adversativum (ista — est, in quo), quod saepissime in transitionibus ad novum locum usurpari constat, simillimum est ei, de quo supra ad VII 4, 5 disputavimus. Ibi enim verbis *quemadmodum . . . convenit* opposita sunt *illud . . . colligendum est, quomodo* e. q. s.

Restat altera quaestio de ratione quae intercedit inter *errorem oculorum* et *animus subsequi*. Seneca cum dicit *errorem oculorum animus subsequitur* certe hoc vult: *non modo oculi errant, ut in auro et argento, sed etiam animus errat*; idem sentit infra verbis ‘animus decipitur’ (*per quae decipiat animum*). Duplici autem modo hic sensus e codicis verbis erui potest: aut enim animus oculos errantes secutus ipse errat et decipitur (*das Herz folgt blindlings auf den Irrthum der Augen, d. h. das Herz löst gleichsam den Irrthum der Augen ab, tritt irrend an die Stelle [subsequi] der irrenden Augen*) aut — id quod praefero — verba ita explicanda sunt: *est in quo errorem oculorum — animi error subsequi possit* (*wobei auf den Irrthum der Augen der des Geistes folgt*). Haec dicendi ratio est similis compendiariae quae dicitur comparationi; exempli causa commemoro illud Homericum II. P 51 *κόμαι χαρίτεσσιν ὁμοίαι*. Vocabulum *animum* Seneca statim post *oculorum* posuit (non: *in quo errorem oculorum subsequi possit animus*), ut oppositio utriusque erroris magis eluceret et auge-

quae usque ad caput 25 pergit, versatur etiam caput 21. Seneca enim initio capitis eorum sententiam refellit, qui putent solem ac lunam ideo nobis prodesse, quod debeant neque aliter agere possint. Itaque in universum exponit eum quoque qui impeditur, quominus nolit, voluntatem suam habere. Sequuntur verba corrupta: *ergo — posse*. Duae sunt emendandi rationes: aut *firmam* mutandum est aut substantivum aliquod nomen inserendum est. Atque prius quidem existimavi *firmam* mutandum esse in *formam*. Ita enim locum intellexi: ea res, quod is qui nolle non potest, tamen voluntatem habet, declarat formam voluntatis mutari non posse; nam etsi ille impeditur, quominus nolit, tamen eius voluntas per se sive eius voluntatis forma non tangitur. (i. e. *Wenn jemand seinen freien Willen nicht äussern kann, weil er eben am Nichtwollen verhindert, zum Wollen gezwungen ist, so hat er nichts destoweniger einen freien Willen als solchen, der von dem erzwungenen, aufgedrungenen, scheinbaren Willen verschieden ist. Daher ist gerade der Umstand, dass er einen eigenen Willen hat, trotzdem er am Nichtwollen verhindert ist, ein Beweis dafür, dass die Form seines freien Willens, sein Wille als solcher, nicht einmal verändert werden kann, also ganz unveränderlich ist*). Sed pro forma voluntatis tum melius *natura voluntatis* (*Wesen des Willens*) requiritur. Altera igitur ratio nobis ingredienda et substantivi defectio statuenda est. Gertzius non recte lacunae signum posuit ante *firmam*; ponendum erat post *firmam*. Fieri enim tum potuit, ut librarius, ab altero verbo ad alterum oculis transiliens propter parem utriusque exitum in syllabam *-am*, nomen post *firmam* plane omitteret. Corruptela iam in archetypo erat, quod nisi ita esset, manus secunda (N² vel N²?) eam certe correxisset. Ad locum emendandum paragraphus quarta eiusdem capitis respicienda est. Seneca, qui tota hac parte aliquem fingit interloquentem, cum eo quasi per disputationem agit. Qui ‘desinant, inquit, *velle*’ (scil. *sol ac luna . . . nobis prodesse*). Contenderat enim § 1 non moveri, id est nolle, eis non licere; ergo si in eis voluntas inesset, tandem aliquando fieri posse, ut velle desinerent. Seneca vero respondet: *Quis tam demens est, ut eam neget voluntatem esse cui non est periculum desinendi vertendique se in contrarium, cum ex diverso nemo aeque videri debeat velle, quam cuius voluntas usque eo certa est, ut aeterna sit [hoc idem est quod supra: ut ne mutari quidem possit]? An si is quoque vult, qui potest statim nolle, is non videbitur velle, in cuius naturam non cadit nolle?* Specie igitur Seneca concedit volun-

tatem aliquando mutari posse, nisi aeterna est. Postea vero, ut illud *desinant velle* ad absurdum deducat, dicit in sole ac luna aeternam deorum voluntatem apparere, quae mutari non potest; cf. cap. 23, 1: *non externa cogunt deos sed sua illis... aeterna voluntas est*. Statuerunt quae non mutarent; itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint, quia, quidquid *desinere non possunt*, perseverare voluerunt nec unquam *primi consilii deos paenitet*. Sine dubio stare illis et desciscere in contrarium non licet, sed non ob aliud, quam quia vis sua illos in proposito tenet; nec imbecillitate permanent, sed quia non libet ab optimis aberrare et sic ire decretum est; § 3 ... *debemus ergo et soli et lunae et ceteris caelestibus beneficium*; § 8 *quanta autem perversitas, ob hoc alicui non debere quia etiam infitianti benignus est et continuationem ipsam seriemque beneficiorum argumentum vocare necessario dantis!* Ex his Senecae verbis satis apparet illud *firmam* (§ 2) re vera eum scripsisse, respondet enim vocabulo *certa* (§ 4). Requiritur tamen vocabulum quod deorum voluntati aeternae, non desinenti (§ 4), perseveranti (23, 1), permanenti (23, 2), beneficia continuanti (23, 8) respondere possit. Quare nostrum locum (§ 2) non sic emendare licet: *ergo maximum argumentum est firmam voluntatem ne mutari quidem posse (dies, d. h. der Umstand, dass einer, der Nichtwollen nicht kann, doch einen Willen hat, ist der beste Beweis dafür, dass ein fester Wille unveränderlich ist)*, quoniam illa voluntatis perseverantia, quae mutari nequit, his verbis non exprimitur. Voluntas enim quae nihil nisi firma vel certa est, ea mutari potest; mutari non potest, si non modo firma sed etiam perseverans est. Ea autem voluntas, quae non desinat, permaneat, aeterna denique sit, eadem semper sibi constat. Quamobrem legendum esse censeo: *non ideo minus vult, qui non potest nolle; ergo maximum argumentum est firmam constantiam voluntatis ne mutari quidem posse. Derjenige, dem das Nichtwollen durch äusseren oder inneren Zwang unmöglich gemacht ist, hat deswegen nicht weniger einen Willen. Deshalb ist dies gerade der beste Beweis für die Unveränderlichkeit eines festen und beständigen Willens (wie z. B. der feste und ewige Wille der Götter, der sich in Sonne und Mond kundgibt, den Menschen zu nützen, unveränderlich ist, auch wenn jene die Wohlthat derselben leugnen)*. Huius paradoxi Stoici causas Seneca in iis quae sequuntur affert et hanc sententiam iterum respicit cap. 23, 8, ubi eos vituperat, qui continuationem beneficiorum argumentum vocant necessario dantis. Firma constantia

voluntatis idem significat quod voluntas et firma et constans; ergo mutari nequit, sicut deorum et certa et permanens voluntas, quacum illa comparatur; de coniunctione verborum cf. VII, 8, 2 *Demetrium virum... firmaeque in iis quae proposuit constantiae*. Atque tota quidem sententia formam habet syllogismi, cuius propositio maior in negatione eius, quod Senecae obici potest (§ 1), latet ita ut totus syllogismus hoc modo supplendus sit:

Propositio maior: Sol ac luna semper et constanter moventur atque id quidem, *ut videtur, coacti*, quod eis non licet non moveri, et eorum voluntas mutari numquam potest, quare nolle non possunt.

Propositio minor: Atqui non ideo minus vult, qui non potest nolle.

Conclusio: Ergo id maximum argumentum est firmam constantiam voluntatis ne mutari quidem posse.

Hanc deinde sententiam Seneca et boni cuiusdam viri, qui coactus beneficia dat, exemplo (§§ 2 et 3) et confutandis contrariis opinionibus (§ 4 *desinant, inquit, velle*; cap. 22, 1: *agedum, inquit, si possunt, resistunt*) confirmat, atque quid voluerit, ex cap. 23 optime potest perspicui. Dixerat enim cap. 20 solem ac lunam nobis velle prodesse; nos igitur eis gratiam debere. Pergit cap. 21—23: Si quis obiciat eos coactos prodesse, quod eorum voluntas mutari non possit, nam si voluntas in eis inesset, eos certe aliquando opus suum intermittere posse, id autem non fieri, ergo velle neque eos posse neque nos eis beneficium debere: quod, inquam, si quis obiciat, Seneca demonstrat cap. 23 in illis deorum voluntatem apparere, hanc autem aeternam et constantem esse debere, quod dis sic iam a primo decretum sit nec unquam primi consilii eos paeniteat. Debere ergo nos et lunae et soli et ceteris caelestibus beneficium, quod nobis consulto prosint, quamquam non modo sciant gratiam sibi referri a nobis non posse, sed etiam, infitianti benigni (cap. 23 § 8), nec a sacrilegis nec malis munerum suorum interpretibus (I 1, 9) deterreantur, quominus istos constanter adiuvent. Toto hoc contextu exposito facile erit cap. 21 § 2 intellegere. Deorum voluntas, quamquam non possunt nolle nobis prodesse, quod eis sic ab initio decretum est, tamen et certa et aeterna, et firma et constans est. Hanc sententiam seu rectius hoc experimentum, ex deorum voluntate immutabili factum, Seneca transfert in locum communem et univrsum, ut dicat omnino eum, qui non possit nolle, tamen velle; ergo hac re effici firmam voluntatis constantiam per se mutari

non posse. — Iam vero apud Ciceronem, qui eundem fere exhibet contextum, ex eodem fonte hausit quo Seneca, scilicet cum ex aliis Stoicis tum ex Hecatone, inveni de offic. I cap. 15 § 47 haec verba: *De benevolentia autem, quam quisque habeat ergo nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligamur: sed benevolentiam non adulescentulorum more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda sed referenda sit gratia, maior quaedam cura adhibenda est, nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est.* Cicero igitur hoc loco benevolentiam ex stabilitate et constantia iudicandam esse censet; benevolentia autem nihil est aliud nisi bona voluntas in aliquem bene faciendi vel alicui beneficia dandi. Et paulo inferius cap. 15 § 49 dicit: *In quo tamen imprimis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam sine iudicio, vel morbo in omnes vel repentino quodam quasi vento, impetu incitati, quae beneficia aequae magna non sunt habenda atque ea, quae iudicio, considerate constanterque delata sunt.* Quae verba quanto sint usui ad Senecae locum emendandum apparet, dummodo illud consideremus: Seneca praeter lib. I cap. 1 §§ 9—11 de deorum benevolentiae constantia non disserit nisi nostro loco atque id quidem, ut probet homines dis habere gratiam debere, quamquam referre eam non possint. Itaque quo loco de reddendis beneficiis et de gratia reddenda, eodem loquitur de deorum in beneficiis dandis perseverantia et constantia et de eorum aeterna benevolentia. Cicero in eodem contextu, quo de gratia referenda verba facit, imprimis commemorat stabilitatem et constantiam benevolentiae et paulo post de beneficiis constanter delatis agit.

III 18, 1.

§ 1 *Quamquam quaeritur a quibusdam, sicut ab Hecatone, an beneficium dare servus domino possit. Sunt enim qui ita distinguunt, quaedam beneficia esse, quaedam officia, quaedam ministeria; beneficium esse, quod alienus det (alienus est qui potuit sine reprehensione cessare); officium esse filii, uxoris, earum personarum, quas necessitudo suscitatur et ferre opem iubet; ministerium esse servi, quem condicio sua eo loco posuit, ut nihil eorum quae praestat, impudet superiori.* § 2 *Praeterea servum qui negat dare aliquando domino beneficium, ignarus est iuris humani; refert enim cuius animi sit, qui praestat, non cuius status.*

Post primam capitis paragraphum Gertzius, ceteri complures, Lipsium secuti, lacunae signum posuerunt; ea nempe re commoti, quod illud *praeterea*, quo transitio ad alteram causam indicatur, displicebat. Senecam enim loqui de iis qui negant servum domino beneficium dare posse. Hos autem non iure id negare quod *praeterea* iuris humani ignari sint. Desiderant igitur Lipsius et Gertzius priorem causam, qua Seneca declaret non iure illud negari; desiderant aliquid, ad quod *praeterea* referendum sit. At primum consideremus, utrum prior causa, cui respondeat altera causa, quam illud *praeterea* inducit, cur iniuria negetur servum domino beneficium dare posse, inveniri queat.

Atque Seneca iam lib. II 18 §§ 3 et 15 dixerat plurimum interesse, a quo beneficium accipiatur. Neque enim quantum accipiatur, sed quid, quemadmodum, a quo accipiatur (I 11, 1) et quo animo datum sit; respiciendum esse. In libro tertio de ingratis potissimum loquitur, quos cum gratis comparatos notat cap. 17 extr. §§ 3 et 4: *Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel. Comparari autem potest utriusque vita, cum alter tristis sit et sollicitus, qualis esse infitator ac fraudulentus solet, apud quem non parentium, qui debet, honor est, non educatoris, non praeceptorum; alter laetus, hilaris occasionem referendae gratiae expectans ex hoc ipso affectu gaudium grande percipiens nec quaerens, quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius uberiusque respondeat non solum parentibus et amicis, sed humilioribus quoque personis. Nam etiamsi a servo suo beneficium accepit, aestimat non a quo, sed quid acceperit. Ex his verbis sequitur, ut etiam in servos nostros grati esse possimus, quoniam ab iis beneficium accipere possimus. Si Seneca post capitis 17 verba postrema etiamsi a servo suo beneficium accepit — acceperit statim dixisset: Praeterea (paene idem est quod: ceterum) servum qui negat dare aliquando domino beneficium, ignarus est iuris humani, nemo in hac transitione offendisset. Nam in condicione seu potius concessione illa etiamsi a servo suo beneficium accepit tacite iam dubitatio quaedam enuntiatur, num omnino a servo beneficium accipi possit. Haec dubitatio facile ad eius sententiae a servo beneficium sive accipi sive dari posse negationem perducit, quam Seneca minime approbare vult, sed iniuriam esse censet. Itaque pergere potest: Praeterea qui id negat ignarus est iuris humani. Sed hoc modo non pergit. Etenim verbis etiamsi — accepit commotus novam inserit quaestionem, an beneficium dare servus domino possit. Haec inducitur*

coniunctione *quamquam* ita ut sic supplenda sit sententia: 'Etiamsi modo dixi a servo beneficium dominum grato animo accipere — ergo etiam dari a servo — posse, tamen quaeritur a quibusdam e. q. s.' Deinde eius quaestionis causam affert verbis: *Sunt enim qui ita distinguant . . . ministerium esse servi, quem condicio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quae praestat, imputet superiori.* Illi igitur negant beneficium servi esse posse in dominum propterea quod ex sua condicione (humiliore) nihil imputare debeat domino (superiori). Ergo dominum adversus eum grato animo esse non debere. Qui autem grato animo adversus aliquem est, ei ab hoc beneficium dari potuit, quoniam ex Senecae sententia omnia beneficia grato animo accipienda sunt. Ergo si dominus adversus servum gratus esse non potest, etiam beneficia ab eo accipere non potest. Haec efficiuntur ex sententia illorum qui servi nihil nisi ministerium in dominum esse ostendunt. Negant igitur servum domino dare beneficium posse atque id quidem, ut Senecae videtur, iniuria. Potest enim aliquis adversus servum suum gratus esse (cap. 17 extr.) propterea quod tum non aestimat a quo, sed quid acceperit. Atque ut omnia breviter complectar, Seneca ipse concedit (*etiamsi*) a servo beneficium dari domino posse; quod si quis neget, eum iniuria negare. Praeterea (18, 2) alterum affert argumentum, cur ii qui id negant, iniuria negent: ignaros enim eos esse iuris humani; referre enim cuius animi sit, qui praestat, non cuius status. Itaque si auctoris sententiam suppleamus, haec sit: 'Praeterquam quod ipse a servo beneficium accipi posse modo concessi, propterea quod tum non a quo, sed quid accipiatur, aestimandum est, negatione eius rei etiam ius humanum violatur'. (*Abgesehen davon, dass ich mich eben für die Möglichkeit der Wohlthat eines Slaven gegen seinen Herrn erklärt habe, weil man in diesem Falle nicht darauf zu achten hat, von wem man empfängt, sondern was man empfängt, ist die Verneinung der Möglichkeit ausserdem auch eine Verletzung der Menschenrechte.*) — Quare ea opinio lacunam hoc loco esse non recte se habet, praesertim cum difficile sit dictu, quid tandem in lacuna scriptum fuerit, quamquam concedo Senecam cohaerentem ordinem sententiarum suarum admodum implicite et abscondite enuntiasse ingenioque legentium explicandum reliquisse.

I 1, 9.

Non est autem quod tardiores faciat ad bene merendum turba ingratorum. Nam primum, ut dixi, nos illam augemus; deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effusa necessitate sacrilegi neglegentesque eorum deterrent: utuntur natura sua et cuncta interque illa ipsos munera suorum malos interpretes iuvant.

Sententia huius loci totum contextum respicientibus videtur esse: Multitudine eorum, quos ingratos adversus nos experti sumus, quod acceptorum beneficiorum obliti sunt, impediri non debemus, quominus in beneficiis dandis perseveremus. Nam primum quod ingrati sunt, nostra ipsorum culpa est; quoniam nos quidem nec rite nec scite dedimus (§ 4—7): illi autem de hac causa nec libenter nec gratis animis acceperunt, quo fit, ut ingratorum numerum augeamus. Deinde deos immortales duces sequi debemus, quippe qui semper etiam eos beneficiis cumulent, quos non modo beneficiorum immemores fore, verum etiam non beneficiis sed maleficiis gratiam relatuos esse non ignorant. — Quid igitur sibi vult illa *tum effusa necessitas*, a qua deos sacrilegi neglegentesque eorum non deterrent? Atque *necessitates* sunt apud Tacitum et Livium *pecuniae necessario expensae*; tamen singularis numerus hoc significare nequit. Effusa deinde necessitas potest fortasse ita explicari, ut in ea intellegendum sit *deorum officium et necessitas beneficia effundendi*. At Senecam id sensisse veri plane dissimile est; primum enim beneficia effundere nulla necessitate di coguntur, deinde si hoc loco statuisset deos necessario beneficia dare, certe non dixisset hanc necessitatem effusam esse debere, quoniam idem infra (cap. 2, 1) vehementer reprehendit verbis: *nec in vulgum effundenda sunt* (beneficia scil.) *et nullius rei, minime beneficiorum honesta largitio est*. Itaque cum *effusa necessitas* omni omnino sensu careat quin hic locus corruptus sit, dubium non esse puto, id quod iam antea interpretes doctissimi velut Lipsius et Gertzius viderunt. Quare valde miror quod in editione societatis Bipontinae et Fickertiana codicum vitiosa lectio servata est. Atque eo peior nostra est condicio, quod nescimus, quid tandem in archetypo scriptum fuerit, quantumque iam codicis Nazariani lectio emendata seu corrupta sit. Dubium enim est, utrum illae tantum litterae certae fuerint: *nec . . . itate* an *nec . . . cess . . . itate*, ita ut litterae, quae fortasse exciderant, aut erasae fuerint aut legi non iam potuerint a librario, qui eas breviter comprehendit vel supplevit scribendo: *necessitate*. Nescimus plane,

quantum litteris vel iteratis vel omissis vel falso loco positis peccatum sit. Itaque incertissima est huius loci emendatio atque id tantum constat eum ex Senecae ipsius sententia et verbis corrigendum esse. Sed etiam tum sescenties potest emendari, cuius emendationis spicilegium ioci causa hic propono:

nec *cessante benignitate*, Gertzius sec. Lipsium.

nec *evalescente bonitate* (cf. II 14, 4; V 1, 3).

effusa *beneficentia* (vel *munificentia*) et *bonitate* (cf. Cic. de off. I § 42; Sen. de benef. IV 4, 3 *deorum munif.*).

nec *exeunte* (exitum habente) *bonitate* (cf. II 14, 2 *etiam exitus decet*).

nec *exhausta bonitate*.

nec *aestimata bonitate* (de aestimatione benevolentiae et beneficiorum cf. I 1, 8; I 2, 5; I, 8, 2; II 3, 3; II 15, 3; II 4, 3; II 29, 1; II 29, 4; IV 6, 3).

nec *expectata* (sperata) *benignitate*.

nec *necessaria benignitate* (i. e. benignitas quam praebere di non debent; *Güte, zu der die Götter nicht verpflichtet sind*; cf. I 3, 10 *necessitate coacti*; VI 23, 8 *necessario dantis*; II 10, 4 *praecepta necessaria*; III 19, 4 *necessitas beneficii*; IV 29, 2 *necessaria beneficia*; Cic. de off. I § 47 *officium necessarium*).

ac *pertinaci bonitate* (cf. VII 31, 1 *vincit malos pertinax bonitas*).

effusa *benevolentia et benignitate* (cf. VII 13, 1 *in quae se benevolentia effundat*).

Omnia fere haec exempla, quae loci sententiam non male restituunt, firmari possunt similibus Senecae locis. Itaque cum tam varie possit emendari, Gertzius Lipsii coniecturam *nec cessante benignitate* in textum recipere non debuit. Seneca ut ita dixerit, fieri non potest. Etenim verbum *cessare* apud Senecam aut paene idem significat, quod cunctari, ut de brevitate vitae IX 2 *Quid cunctaris, inquit, quid cessas? nisi occupas, fugit et cum occupaveris, tamen fugiet*, aut quod desinere. Cunctandi vero significatio nostro loco minime apta est, quia deos non cunctari (beneficia dare) iam vocabulo *effusa* expressum est; nam qui beneficia effundit, non cunctatur. Hoc autem loco deos semper benignos esse, etiamsi gratia eis non redditur, dicendum erat. Quare verbum *cessare* hic idem esse debet quod desinere. Optime igitur dici potest *deorum benignitatem*, quasi persona sit, non *cessare*, ut V 25, 6: *instrumenta cessant, nisi illa in opus suum artifex movit* et VII 31, 5: *terra marique humana opera cessarent*. At-

que etiam di possunt cessare benigni esse; cf. I 2, 4 *ne cessaveris! opus tuum perage et partes boni viri exsequere!* III 18, 1 *alienus est, qui potuit sine ulla reprehensione cessare*; III 31, 4 non cessant di beneficia congerere. Tamen non bene dici potest: 'Di a non cessante benignitate possunt deterreri'. Nam si benignitas ea esse, quae non cesset, dicitur, certe non declaratur deos esse, qui non cessent. Nemo autem ab eo quod omnino non facit, deterreri potest. Ergo — quamquam benignitas ipsa per se ad non cessandum impediri potest, tamen quoniam benignitas ea est, quae non cesset, non autem di — hos a benignitate non cessante non deterreri dici nequit. Quamquam optimo iure dici potest deos ab effusa necessitate non deterreri. Ceterum hoc loco requiro participium generis passivi, quod participio *effusa* melius respondeat.

Sed haec discrimina fortasse levidensia videntur esse atque ego quidem non eis commotus sum, ut rationem loci emendandi a priore plane diversam sequerer, sed graviore corruptela, ut videtur, eorum quae insequuntur. Scribitur enim: *utuntur natura sua et cuncta interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes iuvant.* (*Sie handeln ihrer Natur gemäss und unterstützen alles und darunter selbst die schlechten Ausleger ihrer Gaben.*) Haec verba si sana essent, non dictum esset *cuncta* sed aut *universum* aut *omnes* vel *cunctos*, quia antea *sacrilegi neglegentesque eorum* commemorantur. Ita igitur intellegenda sunt: iuvant omnes nullo discrimine facto, utrum boni an mali sint. Deinde non *interque* illa, quod pronomen refertur ad *cuncta*, dici debuit sed *interque* ea. Totus denique locus optime se haberet, si nihil scriptum esset, nisi: *utuntur natura sua et ipsos munerum suorum malos interpretes iuvant*, ita ut verbis *cuncta interque illa* carere possimus. Ex hac igitur corruptela medelam invenire studui ad verba *ab hac tam effusa nec(essitate)* emendanda. Habemus enim litteras supervacuas CVNCTAINTERQVEILLA. In archetypo fuisse puto: *ab hac tam effusa nec itate*, ita ut litterae, quae inter *nec* et *itate* desiderantur, aut vitio scribendi re vera exciderint aut legi non iam potuerint. Quare veri non dissimile est eas vel in margine ascriptas vel superscriptas fuisse, unde postea mutatae a librario, qui Nazarianum inde descripsit, in versum proximum *utuntur natura sua et . . . ipsos munerum suorum malos interpretes iuvant* falso emanaverunt. Ille simul litteras *nec itate* supplevit scribendo *necessitate*, id quod proximum erat. Atque ut brevi praecedam, quid velim, dico verba archetypi: cunquā inter-

miffa (i. e. [ne]c unquam intermissa) per errorem a librario lecta esse: cuncta interquilla (i. e. cuncta interque illa). Nam 'nec unquā' (= nec unquam) legitur in cod. Nazariano VI 23, 1; litterae c et t, e et q (cuncta — unquam) haud raro inter se confunduntur cf. VI 3, 1 *cū* pro recto *quo*; I 3, 4 *spetiem* = *speciem*; idem cecidit in litteras r, l, s (intermissa — illa); cf. I, 1, 6 *superciriis* N¹ pro *superciliis*, I 1, 9 *fenceremus* N¹ pro *fenceremur*; littera c (*nec unquam*) falso iterata erat, ut plerumque. Nomen autem quod deest (velut *benignitate*, *bonitate*, *liberalitate*) plane exciderat, id quod in Nazariano non semel factum est¹. Quae cum ita sint, hunc locum sic emendo:

deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effusa nec unquam intermissa benignitate sacrilegi neglegentesque eorum deterrent. utuntur natura sua et ipsos munerum suorum malos interpretes iuvant.

Sed etiamsi quis verba *cuncta interque illa* retinere malit, quod ea ferri posse existimat, id nostrae lectioni impedimento non sit. Tum enim librarium similitudine litterarum commotum esse, ut verba *unquam intermissa* plane omitteret, credas. Restat, ut similes locos e Seneca sumptos afferamus. Cum illo loco conferri possunt V 9, 3: *semper dat, sine intermissione dat*; VI 21, 1 *opus suum intermittant*; VII 31, 1 *pertinax* (i. e. nunquam intermissa) *bonitas*. De constantia benevolentiae et benignitatis deorum, quae hinc quoque necessario requiritur, iam supra ad VI 21, 2 verba fecimus, quare iterum nunc idem tractare ineptum est.

Ac ne cuiquam veri dissimilis vel incredibilis videatur haec nostra emendandi ratio, haud alienum erit pauca de Nazariani mendis, quae et additis et omissis litteris effecta sunt, disserere. Librarius enim I 3, 4 ex *cohaeret* fecit *coheditherit*; III 1, 1 ex *pectore* inepte *peccatore*. Falsa earundem litterarum iteratione corruptela orta est V 6, 2: *Non poterat referre Archelao SOGRATES GRATES GRATIAS?* (pro *Socrates gratias*); I 3 2 *proprietetas* (proprietas); VII 9, 1 *volo volo intueri* (volo intueri); de Clementia I 1, 1 *circumire* (circumire); de Clem. I 1, 8 *obversatur* (obversatur) al. — Etiam contrarium fit, cf. II 10, 4 *quotiens patitur* res, *respicendum gaudium ex accipientis voluptate*, quo loco Nazarianus prius illud *res* non praebet; de Clement. I 1, 9 *clentia* (pro *clementia*). De benef. II 13, 1 in Nazariano

¹ Eiusmodi librariorum menda in Nazariano neutiquam inaudita, sed ex confesso creberrima esse pluribus infra exponemus.

exhibetur: *superbia, magnae fortunae stultissimum malum*. (Ultimum capitis 12 verbum est: *suos*). Vulgo legitur: *superbia magnae fortunae, o stultissimum malum*. Gertzius (cf. eius Adnot. crit. p. 204) genuinam restituit lectionem: *o superbia, magnae fortunae stultissimum malum!* Interiectio cur in Nazariano non exstet, facillime explicatur, dummodo litteras, quae antecedunt in fine capitis duodecimi, respiciamus. In archetypo enim recte scriptum fuit: SVOSOSVPERBIA, MAGNAE e. q. s. Librarius cum haec describeret, omisit alterum o, propter duplex -osos scriptoris mendum esse opinatus: rectam tamen interpunctionem (*superbia, magnae — malum!*) servavit. Comparari possunt ea quoque menda, quae simili verborum exitu orta sunt, ut I 9, 4. Archetypus, id quod ex emendatione manus secundae (N²) apparet, exhibuit:

(^{hunc}) ANCILLARIOLVM vocant. Inde

decentissimum SPONSALIORVM genus est adulterium⁷ e. q. s. Librarius (cod. N), cuius oculi a verbo *sponsaliorum* in praecedens *ancillariolum* aberrabant, falso scripsit *sponsariolum*, quod N² correxit. Mendum non ita ortum est, ut in eodem verbo *sponsaliorum* litterae *r* et *l* inter se mutarentur. Ceterum vel apud Lucretium tales errores aequis modis exstiterunt (cf. Bernaysii Praef. p. I sq.). Unum liceat afferre exemplum. Lib. I 50 codices exhibent: *Quod superest ut vacuas aures*. Illud *ut* editores iure deleverunt. Apparebit vel caeco ex aequalium litterarum iteratione illum mendum prodisse, si scripserimus: quod superesTVTVvacuas aures. Fortasse etiam Senec. de benef. I 3, 3: *Alii quidem videri volunt unam esse* (sc. *Gratiam*) *quae* . . . verbum *videri* delendum est, ut repetitum ex praecedenti *quidem* (QVIDEM VIDERI); cf. Cornut. Theol. Gr. cap. 15 ed. Lang. p. 19: ἕτεροι δ' ἔφρασαν μίαν μὲν εἶναι Χάριν κτλ.

De lacuna lib. I cap. 9.

Primi libri caput nonum corruptissimum est non solum huius libri sed etiam totius de beneficiis commentationis a Seneca institutae. Atque hoc quidem loco de ea lacuna, quae est inter paragraphum secundam et tertiam nonnihil exposituri sumus. Exstat enim altera quoque lacuna inter §§ 1 et 2, sed hanc explere non ita difficile est. In qua quid exciderit, optime iam Gertzius cognovit, qui haec fere verba ante paragraphum alteram fuisse conicit: *Bene audit homo dives, si callidus non difficilem aditum praebuit . . . at peior opinio, si e. q. s.* Illud *bene audire* aptissime

peiori opinioni oppositum est, cf. et V 7, 4; II 17, 6. Praeterire nobis licet in tali lacuna nihil nisi sententiam eius, quod periit, restitui posse, verba ipsa non posse. Multo gravior difficiliorque est quaestio de altera lacuna. Nam cum § 2 Seneca exposuerit, quid referat, utrum beneficia bene an male accipiantur, subito § 3 verba fiunt de vitiis et corruptis illius aetatis moribus. Inter has res omnis contextus sublatus est. Videamus iam, quomodo lacuna suppleta contextus restitui queat.

Ex Senecae verbis cap. 10, 1: *Sed longius nos impetus evehit provocante materia; itaque sic finiamus, ne in nostro saeculo culpa subsidal* apparet satis multa in cap. 9, 2 excidisse. Nam si nihil nisi brevissima illa de temporum vitiis expositio (§ 3—5) antecessisset, certe Senecae operae pretium non visum esset tam gravibus verbis ad propositum redire. Quare in cap. 9 digressio quaedam a proposito exstabat, ut saepius; exempli causa commemoro digressionem illam, quae est ab lib. I 3, 2 usque ad caput 5. Digressionem fuisse quivis concedet, quoniam totius aetatis mores corrupti non pertinent ad id quod Seneca sibi proposuit de beneficiis et dandis et accipiendis, praeterquam quod ipse se a proposito digressum esse verbis cap. 10, 1 declarat. Sed ut quae hoc loco exciderint divinatione queamus consequi, nobis dispositio libri primi et secundi respicienda est. Atque exordium totius expositionis complectitur lib. I cap. 1—5. In capite quinto (§ 1) prima pars nobis occurrit: *Sed quemadmodum supervacua transcurram, ita exponam necesse est hoc primum nobis esse discendum, quid accepto beneficio debeamus*. Quod ut exponat, Seneca cap. 6 inserit quaestionem, quid sit beneficium. Beneficia consistere in ipsa bene faciendi voluntate, ergo ea nisi animo ac voluntate reddi non posse. Haec beneficia libenter data grata esse, gratumque animum eis deberi. *Contra*, inquit (7, 2) *ingrata sunt, licet re ac specie magna videntur, quae danti aut extorquentur aut excidunt, multoque gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur*. Itaque paupertatem non esse impedimentum, quominus acceptis beneficiis gratum animum debeamus, exemplo Aeschinis (cap. 8) demonstrat. Sequuntur verba (capp. 9 et 10), quibus Seneca suae aetatis mores corruptos deplorat. Convertit se deinde ad alteram partem cap. 11: *Sequitur, ut dicamus, quae beneficia danda sint et quemadmodum*, e quibus prior locus libro I continetur, alter potissimum libro II (cf. huius libri caput 1: *Inspiciamus, id quod ex priori parte adhuc superest, quemadmo-*

dum dandum sit beneficium). Singuli autem uniuscuiusque partis loci hoc modo distribuuntur:

A. Exordium (lib. I cap. 5—11).

B. Tractatio.

I. Quid accepto beneficio debeamus (I 5—11).

- a. multum interesse inter materiam beneficii et beneficium (cap. 5),
- b. quid sit beneficium (cap. 6),
- c. gratum igitur nos debere animum beneficiis libenter datis (cap. 7, 8, 9 § 1),
- d. beneficia non libenter data plerumque ingrato animo accipi (cap. 9 § 2),
- e. [ingratum animum causas praebuisse morum perversitatis]? (cap. 9—10).

II. Quae beneficia danda sint (cap. 11—15).

- a. necessaria (cap. 11 § 1—5),
- b. utilia (§ 5),
- c. iucunda (§ 6),
- d. mansura (cap. 12—15).

III. Quemadmodum dandum sit beneficium (lib. II cap. 1—18).

- a. in universum
 - α. libenter,
 - β. cito,
 - γ. sine ulla dubitatione;
- b. gratissima beneficia esse
 - α. occurrentia (cap. 1 § 3—cap. 2),
 - β. parata (cap. 2 fin.—cap. 3),
 - γ. facilia (cap. 4—9);
- c. ad singulorum condiciones ea accommodata esse debere
 - α. quaedam beneficia palam danda esse, quaedam secreto (cap. 9),
 - β. interdum accipientem fallendum esse (cap. 10),
 - γ. merita non commemoranda esse (cap. 11),
 - δ. non superbe danda (capp. 12 et 13),
 - e. non nocitura (cap. 14),
 - ζ. non in turpitudinem reditura (cap. 15);
- d. complexio (capp. 16 et 17 referre qui det, cui, quando, quare, ubi etc. 17, 1 fin.).

IV. Quomodo se gerere homines in accipiendis beneficiis debeant (cap. 18—26).

- a. eligendum esse a quo beneficium accipiamus (cap. 18—21, 3),
 - b. danti non nocitura accipienda esse (cap. 21, 3—fin.),
 - c. hilares nos accipere debere (c. 22),
 - d. palam accipienda esse (c. 23),
 - e. optime meritis non male dicendum (c. 24, 1),
 - f. nec delicate nec submisce et humiliter accipienda esse beneficia (c. 24, 2),
 - g. nec fastidiose (c. 24, 3),
 - h. grato omnino animo; gratum enim statim dum accipiat de reddendo cogitare.
- V. Ut exponat, quomodo non accipienda sint beneficia (ingrato scilicet animo), Seneca enumerat causas ingrati animi (c. 26—30). Causae sunt:
- a. nimius sui suspectus (c. 26, 2—27, 3),
 - b. aviditas (c. 27, 3—28),
 - c. invidia (cc. 28 et 29).
- C. Conclusio (complexio et amplificatio, cap. 30—35).

Sequitur in libro tertio expositio de ingratis ipsis et nonnullis rebus, quae ad singulas dantis et accipientis condiciones et casus pertinent. Id tamen monendum est, Senecam non semper singulos locos et ex dispositionis ordine et accurate acuteque disiunctos tractasse. Praeterea aut iis exempla intermiscere aut cum Aëbutio Liberali vel alio quolibet interlocutore disputare solet, ut si quid sibi obici possit, refellat (velut I 1, 5 *at male cessit*), id quod saepius in libris posterioribus, quam in libris I et II fit.

Sed ad lacunam supplendam accedamus! Seneca igitur (I 9, 1) dicit non quanta quaeque beneficia sint, sed quali animo dentur respiciendum esse. Quare fieri, ut homo dives, qui facilem adiutum praebuit petentibus, quamquam eos non adiuturus est, melius, qui difficilem, peius audiat. *Colunt enim detestanturque felicem et, si potuerint, eadem facturi odere facientem.* Quid ex hac sententia consequatur, deest atque id quidem sic fortasse explendum est: Ergo is qui gravis vultu, lingua asper beneficia dedit, postulare non potest, ut beneficiis suis gratus animus debeatur. Praeterea non omnibus dandum est, sed electis, quibus demus, his autem beneficia et rara exquisitaque danda sunt et quibus iudicium adsit¹.

¹ De hac sententia cf. cap. 12, 4 *munera non tam pretiosa, quam rara et exquisita sint, quae etiam apud divitem sibi locum faciant; et*

Sin autem iudicium defuerit, tum semper eorum, qui acceperunt, animi ingrati erunt. Sequitur aliquid quod Seneca, ne sibi obiciatur, confutando occupat, id quod apparet ex libri III cap. 1 § 2 verbis: *Nam quae recentia apud illos viguerunt, ea interiecto spatio obsolescunt*; de quibus fuisse mihi tecum disputationem scio, cum tu illos non ingratos vocares sed oblitos, *tamquam ea res ingratum excuset, quae facit, aut, quia hoc accidit alicui, non sit ingratus, cum hoc non accidat nisi ingrato*. Haec autem disputatio, quam Seneca commemorat, nusquam in duobus libris prioribus exstat, id quod cognosci potest ex partitione supra facta. Statuendum igitur est eam illa lacuna perisse, praesertim cum in hunc locum optime quadret. Nam si Seneca antea dixerit: eorum, qui beneficia acceperunt, ubi iudicium beneficiis defuerit, animos semper ingratos fore, tum aliquis hoc fere modo interloqui potuit: At enim sunt, qui gratum animum propterea non debeant, quod beneficiorum oblitus sunt. Senecam vero respondisse existimo: At nemo nisi ingratus beneficiorum oblivisci potest. Nam si quis eorum oblitus est, is grato animo ea omnino non acceperat. Itaque haec res ingratum minime excusat (III 1, 2), immo vehementissime vituperandus est, quod beneficia ingrato animo iam acceperat. Facillime inde explicatur, quomodo hanc sententiam Seneca cum morum corruptorum descriptione, quae sequitur, coniunxerit. Pergit enim, ut videtur, hoc modo: Ingratis autem hominum animis omnia ista detrimenta nostrae aetatis effecta sunt, inde exstitit morum corruptio, inde prodierunt vitia ista, quae, maioribus nostris incognita, nostra potissimum aetate vigent, in quibus maxima sunt adulterium, viduitas caelibatusque. Veterem matrimonii sanctitatem et castitatem contemnere et violare coeperunt. *Coniugibus alienis ne clam quidem sed aperte ludibrio habitis suas aliis permisere* et quae sequuntur cap. 9 § 3. — Summa igitur sententiarum haec est: Ea re, quod

cap. 15, 1 *adsit iudicium*, sc. beneficiis dandis. Haec enim postulata duo per omnes expositionis insequentis, *quae beneficia danda sint*, partes nobis occurrunt; fundamenta quasi sunt eorum locorum, quos supra in partitione numeris II, a—d significavimus. Illis locis (12, 4 et 15, 1) repetit Seneca nihil nisi quod iam prius certa dispositione declarare debuit; id autem nusquam factum est, quare hanc partitionem in lacunam cap. 9 insero.

beneficia nec dare scimus nec accipere nec didicimus, quid accepto beneficio debeamus (I 1, 1 et I 5, 1), effectum est, ut ingrati hominum animi existerent, qui causas omnium vitiorum continent, praesertim cum ingrato animo nulla possit inveniri excusatio. Hanc sententiam in lacuna fuisse docemur capituli decimi § 4 verbis: *Erunt homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores; infra omnia ista ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato sunt, sine quo vix ullum magnum facinus adcrevit, quibus verbis complexio quaedam et ἀνακεφαλαίωσις, quam Graeci vocant, earum rerum et flagitiorum, de quibus antea in lacuna et capite nono accuratius dictum erat, continetur. — Hoc fortasse nobis mirandum videtur, quod Seneca quaestionem de beneficiis cum tot tantisque vitiis coniungit. Sed ex Senecae, qui Stoicos sequitur, sententia illa de beneficiis quaestio cum humana societate artissime cohaeret; cf. I 4, 2: *de beneficiis dicendum est et ordinanda res, quae maxime societatem humanam adligat; danda lex vitae, ne sub specie benignitatis inconsulta facilitas placeat* sq. Quare Gertzius ipse quoque de benef. I 1, 1 loci sententiam optime restituit ratus ibi fortasse excidisse verba: *Inter multos ac varios errores... nihil dixerim, quod magis societatem humanam turbet, quam quod beneficia nec dare scimus nec accipere.* Cum Senecae expositione Ciceronis comparanda est de offic. I 5, 15 *Sed omne quod est honestum, id quattuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide aut e. q. s.* Pergit cap. 7 § 20: (*Ac de primo quidem officii fonte diximus*). *De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas continetur, cuius partes duae sunt: iustitia, in qua virtutis est splendor maximus, ex qua viri boni nominantur, et huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellare licet;* cap. 16, 50: *optime autem societas hominum coniunctioque servabitur, si ut quisque erat coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Haec Ciceronis et Senecae consensio optime explicatur; uterque enim ex Stoicis fontibus, velut ex Chrysippo, Hecatone, aliis hausit; atque Cicero quidem id ipse profitetur de offic. I 2, 6 extr. *sequemur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro quantum quocumque modo videbitur hauriemus (Stoicos imitari audeamus).* Nec*

minus saepe quam Cicero, Seneca Stoicorum sententias exponit. Quin etiam veri simillimum est Ciceronem eam officiorum partem, quae est de beneficentia (lib. I 14 § 42—16 § 50), totam ex Hecatonis libro deperdito περὶ καθηκόντων hausisse, eiusdem, inquam, Hecatonis, cuius Seneca cum in reliquis de beneficiis libris, tum maxime libro II, cuius locis nonnullis tota Ciceronis de beneficiis expositio ad verbum fere continetur, saepius rationem habet (cf. Cic. de off. I § 43 et Senec. de benef. II 14; Cic. § 44 et Sen. II 15, 3; Cic. § 49 et Senec. II 18, 3—5 al.).

Haec fere erant quae digna putarem, de quibus paulo fusius dissererem. Plurimis locis prima specie obscuris et ad emendandum difficilibus facile tamen medelam posse inveniri nos docuit idem Demetrius Cynicus, cuius supra iam semel mentionem fecimus. Quare liceat quaestiones nostras perorare eius verbis a Seneca de benef. VII 1, 6 laudatis: 'nullius rei difficilis inventio est, nisi cuius hic unus inventae fructus est invenisse'.

Halis Saxonum.

C. Haebelin.